

predicari fecit¹⁸⁾ et contra plures alios tyrampnos, quia heretici erant et scismata in ecclexia procurabant. Quarto, ratione delicti, quia quilibet etiam Tartari et Sarraceni et Iudei ratione delicti fiunt¹⁾ de foro ecclesiastico^{m)}, quia¹⁹⁾ curam animeⁿ⁾ omnis hominis habet papa a Christo¹⁸⁾. Unde si sit imperator aliquis vel rex hereticus vel negligens ad extirpandas hereses, potest excommunicari et omni dominio privari, quia spiritualia tunc destruuntur. Et isto modo papa potuit Grecos privare imperio, quia plures ex eis fuerunt heretici persequentes fidem Christi, et similiter omnes ellectores ipsorum et omnes, penes quos potuit ius imperii residere. Et idem iudicium fuit de Federico ultimo, quem Innocentius quartus deposuit, et de quocumque alio imperatore heretico vel scismatico vel inutili ad iustitiam peragendam. Et ideo isto modo^{o)} comes tollosanus quia hereticus fuit per papam illo comitatu privatus *«est»*²⁰⁾. Unde habetur p) Yheremie primo capitulo²¹⁾: 'Dixit dominus ad Yheremiam prophetam: Ecce constitui te super gentes et regna, ut evellas et destruas, edifies et plantes'; Extra. de maiortate et ob. *Solite benignitatis* q) ²²⁾: 'Non regi sed sacerdoti et de prosapia sacerdotali descendenti de sacerdotibus, qui erant in Anathoth r)'. Quinto, summus pontifex in aliquo regno immediatam exercet iurisdictionem, quando ab aliquo principe conceditur ecclexie romane aliquod temporale dominium in regno vel ducatu aut in aliqua dignitate ex devotione sive dei amore. Et tunc ecclexia fructum terrene possessionis recipit, sed usum potestatis iustitie exercende non exequitur per personas ecclesiasticas ymo per^{s)} personas seculares aut ad vitam, sicut patet de imperatore, aut usque ad quartam generationem, sicut patet de regno Sicilie et pluribus aliis principatibus. Sexto, quando fuerit aliquod difficile vel ambiguum, tunc est ad sedem apostolicam recurrendum, sicut quando duo imperatores elliguntur in discordia vel duo reges; et isti duo casus notantur Extra. qui filii sint ligiptimi. *Per venerabilem*²³⁾.

cap. 190 Responsio ad argumentum^{a)}.

Ex hiis patet responsio ad argumentum factum in contrarium, quia cum papa de iure divino sit pastor proprius ovium id est christianorum, cum exercet aliquod iudicium, non mittit manum in messem alienam sed propriam. Non tamen hoc facere debet ex solo^{b)} libitu, quia peccaret. Atamen quia extra terminos sibi constitutos non facit, eius sententia tenet et timenda est, sive iusta sive iniusta fuerit¹⁾. Ex omnibus supradictis evidenter colligitur, quod Zacharia papa iuste Hyldeicum regem Alamanie regno privavit et Pipinum grossum patrem magni Karuli in regno^{c)} instituit. Ex quo concluditur, quod papa est

1) fit B m) ecclexie B n) anime *supplevi ex CM cap. 371 Glosa*

o) isto modo om. W p) in add. B q) *Solite benignitatis om. B*

r) Anathathoth BW s) om. W

18) *Alexander IV. am 20. Dez. 1255; vgl. Potthast, Nr. 16143 und M. Rapisarda, La Signoria di Ezzelino da Romano (1965) S. 109 ff., bes. 115 f.* 19) quia — Christo vgl. *Petrus de Palude, Tract. 264, 15.* 20) *Raimund VI. von Toulouse, abgesetzt durch Innocenz III. am 14. Dez. 1215; vgl. 4 Comp. 5. 5. 1 und O. Hageneder, Arch. hist. pont. 1 (1963) S. 68 f.* 21) *Jr. 1, 9—10.* 22) *X. 1. 33. 6 § 3.* 23) *X. 4. 17. 13.*

cap. 190 a) argumenta W b) proprio B c) in regno om. B

1) Vgl. C. 11 q. 2/3 c. 1.